



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. VI. VII. & VIII. De forma electionis per compromissum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

ut constat ex *c. Ecclesia 57. h. t.* sæpius tamen, ut supra dictum, sanior pars non tam in Examen adducitur, quam ex majore Capituli numero pro una parte præsumitur, ita tamen, ut contra hanc præsumptionem admittatur in contrarium probatio; & si in discordia duæ v. g. electiones factæ sint, ita ut pro una parte sit major numerus Capituli, pro altera parte sanior, si duplo major sit pro una parte eligentium numerus, electio talis valida sit, modò electus sit habilis; si verò non sit numerus multum excedens sanio-rem partem, neutrius electio valida sit, sed novum Scrutinium sit faciendum, uti habetur in *c. si quandoque h. t. in 6.*

Sicuti tamen supra jam animadvertum fuit, observanda hæc, si juxta *c. quia propter* per Scrutinii formam in illo capitulo descriptam facienda est electio, quæ tantum adhibenda est in electionibus Episcoporum, & Prælatorum Regularium, qui in multis æquiparantur Episcopis, & ex quorum morte non minus suo sponso viduata Ecclesia regularis dicitur: quàm ex morte Episcopi Ecclesia Cathedralis, ita etiam hæc adverti debet, quòd sæpius in Ecclesiis etiam talibus hæc forma non observetur, ubi receptissima à tempore immemoriali consuetudo, aut speciale privilegium, aliam jam eligendi formam introduxit, aut exiguus numerus eligentium aliud jubet, ut supra jam dictum.

#### §. VI. VII. & VIII.

##### De forma Electionis per compromissum.

**A**ltera species electionis est, ut illa fiat per compromissum, quod tunc

fieri censetur, quando illi, quibus jus eligendi competit, communi consensu facultatem eligendi Prælatum in certas quasdam personas transferunt, qui compromissarii dicuntur, & nomine ac jure omnium, Ecclesiæ vacanti de Pastore provident: quod compromissum ut valeat, debet fieri expressè consentientibus omnibus, qui jus suffragii habent, in tale compromissum, ita ut nemo dissentiat, uti habet etiam *Gloss. in c. quia propter V. vice omnium*: quia quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari, juxta *reg. juris 29. in 6.* & taciturnitas in tali casu præjudicante non habetur pro consensu. Et quamvis compromissarii debeant esse viri idonei, ut loquuntur jura, Clerici non Laici, cum hujusmodi jura spiritualia non cadant in Laicos *c. sacrosancta 51. h. t.* nisi ex speciali commissione sedis Apostolicæ, non tamen debent necessariò esse de gremio Capituli *Gloss. in c. quia propter V. viris*, neque necesse est, ut fiat legitimum compromissum in plures, cum unus sufficiat, Episcopus v. g. respectu sibi subjeçti Capituli, uti sumitur ex *c. causam 8. h. t.* aut, ut fiat in numero impares, sed fieri etiam potest in numero pares, ut colligitur ex *c. cum in veteri 52. h. t.* (quamvis ad multa incommoda vitanda commodius illud sit) & à tali compromissario, vel à majore numero talium compromissariorum electum admittere debent compromittentes, si dignus & idoneus est, cum electus à compromissariis, ab ipsis electus censetur, quorum nomine compromissarii eligunt.

Potest autem duplici modo fieri electio per compromissum, absolutè scilicet

&c



& limitatè. Absolutè, si sine ulla conditione additâ potestas eligendi in compromissariis translata fuit; Limitatè verò, si cum restrictione aliqua certa ipsis data est potestas, eligendi v. g. unum de gremio Capituli, adhibito certorum consilio, exquisitis secretò & sigillatim aliorum Capitularium voluntatibus &c. & quamvis sint, qui putent, modum hunc limitati compromissi hodie sublatum esse per *c. quia propter*, ubi absoluti tantùm compromissi fit mentio, rectius tamen putant alii, ad evitandam inutilem jurium correctionem, eum hodie adhuc valere, & adhiberi posse, etiam cum inquisitione secreta singulorum Capitularium; quamvis enim relat. *c. quia propter* absoluti compromissi tantùm mentionem faciat, mixtam tamen hanc ex Scrutinio & compromisso formam non improbat, prout declaravit Pontifex in *c. cum expediat 29. h. r. in 6.* sicuti autem electio non valet ex solo Capitularium majore numero respectu unius, cum alii minorem numerum tulerint, sed fieri debet à majore parte Capituli, ut dictum supra, ita electio per compromissum nulla est, si major tantùm numerus compromissariorum comparatione aliarum partium in unum aliquem convenerit, sed debet ea fieri, ut valida sit, majore parte compromissariorum absolutè in unum consentiente, cum alii compromissarii, si plures sint constituti, minorem partem faciant: & si factum fuit compromissum sub limitatione, ut eligant eam consilio aliorum quorundam determinantorum, debent compromissarii, ut valida sit eorum electio, consilium ab his petere circa eli-

gendum, & congruo tempore expectare ac, si intra illud tempus consilium dare velint, audire illud, ita tamen, ut non teneantur sequi *c. cum veteri 52. h. r.* nisi consilium accipiatur pro consensu.

Quando verò plures compromissarii constituti sunt, possunt illi non tantùm unum ex se ipsis eligere, licet in compromisso hoc expressum non sit, modò non sit expressè prohibitum (cum ex eo, quòd compromissarii sint, non debeant esse deterioris conditionis, quàm si compromissarii non essent) sed potest etiam unus eorum, si prius eorum aliqui compromissarii eum elegerunt, consentiendo in se ipsum, & sic aliorum votis accedendo, numerum ad electionem requisitum complere, modò suffragio suo accedente suffragiis aliorum, qui eum ante elegerunt, majorem numerum eligentium constituat, prout sumitur ex *c. cum in jure 37. h. r.* ut ne ambitiosus videatur, quod de tali non dicitur, si aliorum tantùm votis cognitis & publicatis accedendo numerum majorem ad electionem requisitum præcisè faciat, ad quam ambitionis notam cavendam, nec principaliter ipse sui electionem inchoare debet, sed votis tantùm aliorum de se factis, & publicatis, accedere, nec dicere debet, eligo aut coëligo me ipsum, sed consensio electioni de me factæ.

Cessat autem & expirat Compromissum, si electio, aut postulatio à Compromissariis facta fuerit, quamvis suum effectum illa consecuta non fuerit, cum suo officio jam functi sint Compromissarii, vel si tempus à compromittentibus præfixum Compromissariis ad eligendum, elapsum jam sit, cum compromissum in



tali casu ad certum tempus restrictum sit, vel si re adhuc integra (id est, si nondum ad substantialia in negotio compromissi processum sit, capto v. g. jam tractatu de eligendo) compromissum revocetur, quam revocationem facere posse Compromittentes, non quidem, re non amplius integra, sed re adhuc integra, ex cap. in causis 30. h. t. patet, quia re nondum incepta, nondum censetur in Compromissariis radicata eligendi per compromissum facultas, nisi compromissum factum fuisset, in gratiam & favorem Compromissariorum, quod cum factum sit per modum liberalis donationis, revocari amplius non potest, etiam si res integra adhuc esset.

## §. IX.

*De devolutione potestatis eligendi, propter negligentiam, vel delictum Compromissariorum.*

Casu quo Compromissarii intra tempus à jure præfixum eligere per culpabilem negligentiam intermittant, devolvitur potestas eligendi non ad Capitulum, quod Compromissarios elegerit, sed ad proximum Capitulum talis superiorem; si vero intra tempus à jure præfixum eligant quidem, eligant tamen indignum, sive scientes sive ignorantes hunc elegerint, redit potestas eligendi ad compromittentes; uti etiam in illo casu, quo electus per compromissarios tenuit in eam sui electionem consentire: prout hæc omnia in c. si Compromissarius 37. h. t. in 6. deciduntur. Tum quod negligentia Compromissariorum ipsis in primo casu compromittentibus, qui debito modo Compromissarios non urgebant, ad-

scribi debet, & consequenter devolutio fieri debet in hoc casu juxta communia jura; tum quod dolus commissarii in committendo consistens obesse non debeat Principali, si hic non est in culpa, prout in culpa non sunt compromittentes, si à Compromissariis indignus eligatur, qui est secundus casus: Tum quod denique Compromissarii functi sint officio suo, dum pro illa vice eligebant, quod solum illis concessum fuit, quamvis sui electionem admittere non velit electus, qui tertius casus est relat. c. si Compromissarius.

## §. X.

*An, & quomodo electio Pralati debeat fieri liberè?*

Certum est, quod substantialiter ad Canonice electionem requiratur, ut liberè illa facta sit ab eligentibus; & hinc nulla consuetudine introduci potest, ut fiat dependenter ab arbitrio alicujus tertii, quod necessariò eligentes sequi debeant, uti habetur in c. cum tertio 14. h. t. cum nomen, & natura electionis importet, penes eligentes esse libertatem, unam aliquam, ex pluribus propositis præoptandi: nihil tamen huic libertati obest, si post electionem factam electus intimari debeat Principi v. g. vel Patrono Ecclesie, non quidem, quasi ad validam electionem consensus illius requiratur, sed quod ut sic, si consensus suum in electum Princeps talis, vel Patronus dederit, certius & securius patrocinium illius, ac defensio electi sperari possit; & hinc consuetudo, hujus consensus taliter etiam à Laico requirendi, valida est, & sæpè multum Ecclesie utilis.

## §. XI.